



PARS SECUNDA.

CAP. I.

De Versionibus et Commentariis scribendis et iudicandis.

§ 1.

Quoniam in interprete non modo debet esse subtilitas intelligendi, sed etiam bene intellecta explicandi, vel vertendo, vel commentando: de hac quoque praecipendum videtur.

§ 2.

Et eius quidem interpretationis, quae vertendo in aliam linguam cernitur, cum sit finis hic, ut sensus auctoris sine vlla aut detractioe, aut adiunctione, aut immutatione denique, exprimatur, sitque versio quasi perfecta imago exempli archetypi, in qua nihil nec maius aut minus, nec melius aut deterius factum sit, sed quam archetypum possit alterum se agnoscere: b) efficitur, ut verbis omnibus utatur iis, quibus clare omnes sensus auctoris eodem modo referantur. Quae sunt explicanda distinctius.

b) Conseruetur itaque, quoad eius fieri potest in Liuiio stili Patauinitas, in Iohanne dictionis simplicitas et breuitas, in Paulo verborum stribligo. Hanc autem virtutem in omnium ecclesiarum versionibus publicis adhuc desideres. Conf. *Morus Cpp. p. 83. sqq.*

§ 3.